



Ioannes Eligerus natione Germanus in Gondersleuen natus est. Is Ioannis de Saxonia clarissimi Astronomi discipulus fuit. Itaque sub eo preceptore adeo promouit, ut in philosophia & humaniorib. literis eruditissimus haberetur. Inter omnes uero Astronomos sui temporis erat celeberrimus. Erat enim felicissimi ingenij, atque laboribus perferendis nulli secundus. Vnde in Mathematicis disciplinis pulcherrima opuscula conscripsit, quibus nomen suum ad posteritatem transmisit. Nimirum de Compositione & usu Astrolabij & Quadrantis, praeterea de Astrogemetro & magnate, cum alijs. floruit is sub Carolo quarto Caesare, & Clemente 6 pontifice, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo. Trit.